



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput I. Consideratio quarta de doloribus B. V. desumpta ex intima cognitione eorum, quæ conducunt ad movendam commiserationem, & de quibusdam aliis circumstantiis dolorem aggravantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

franchini multo plus sole lucidiorem,
sibi semel, & secundo & tertio exhiben-
tem, dicentemque: Ecce anima amici
pro quo sollicitus sacram hostiam litasti.

DIES MERCURII.

Non est qui consoletur eam, ex omni-
bus charis ejus *Thren. I.*

CAPUT I.

*Consideratio quarta de doloribus B.V. de-
sumpta ex intima cognitione eorum, quæ con-
ducunt ad movendam commiserationem, & de
quibusdam aliis circumstantiis dolorem
aggravantibus.*

Nescio mi Parthenophile, num satis
liquido perspectas habeas omnes
eas causas, ob quas amor tuus dulcissi-
ma Mater tantum mœroris, dolorisque
animo susceperit. Eas penitus inspi-
cies, si sequentia puncta acuratiore tru-
tinâ mecum perpenderis. Illud impri-
mis certum, teneriora corpora & facilli-
me,

ne, & gravissime lædi, porro fæmineo sexu nihil tenerius, nihilque mollius, unde ceræ instat omnes formas & impressionis Matris suscipiunt, magis sensibili affectu fœtus suos diligunt, & prosequuntur; gravius dolent adversis, uberius gaudent secundis; cum itaque Domina nostra nobilissimæ esset complexionis, ac constitutionis corporeæ, tenerrimi corporis, delicati & exquisiti sanguinis, facile omnes dolores filii in se transformavit, cumque perfectè nosset qualis, quantusque esset suus hic filius, non potuit non omnes filii sui dolores, & totius carnificinæ imaginem in se circumferre; dolebat ergo eò vehementius, quò magnitudo cruciatuum Christi erat intensior;angebatur sæpius quò numerus eorundem multiplicabatur magis; & quantò acerbiores erant plagæ filii, tanto acerbius contremiscebant viscera Matris. Accedebat quod mœstissima Mater, Virgo esset pudicissima; quæque pro insitâ, forte nullum antea spectârat hominis è medio tollendi supplicium, præter hoc, illudque
tam

tam atrox proprii filii; Erat insuper Mater fons pietatis, & misericordiæ scelestissimorum etiam hominum assue- ta misereri, & piissimum cor ipsius non in mille partes scinderetur in tantis filii sui doloribus, cum & rupes, & elementa bruta, & tota natura contremis- ceret? lacrymabili ejulatu, & clamore fi- lium suum olim deflebat David 2. Re- gum 18. *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi dabit mori pro te.* Job ad subitam mortem filiorum scidit vestimenta sua, & tonso capite corruit in terram. Et dicebat de Jonatha suo David: *Doleo propter te Jonatha, decore nimis & amabilis, super amorem mulierum, sicut mulier unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Ve- rum longo majori mœroris æstu jacta- batur Virgo, cum, si Divo Bernardo credimus, sic loqueretur: *Videbam mo- ri, quem diligit anima mea, & tota liquefie- bam præ doloris angustia. Aspiciebat & ipse benignissimo vultu suo me p'orantem, & vo- luit me paucis verbis consolari, sed ipsa conso- lari non poteram; sed flebam dicens: fili mi, fili mi, cur tecum non moritur Mater? O*

F

mors

*mors mihi misere noli parcere; tu enim sola
præ cunctis places: exerce vires tuas, trucidam
Matrem cum filio, occidat simul Mater. Apud
Convult. 894. Parcebat nihilominus
mors crudelis Virgini, ac ne cito mo-
reretur, ut diu mori posset, spiculum in-
torquere omisit; forte Parthenophile,
quia alterum spiculum figendum san-
ctissimo cordi Christi mortui prævide-
bat, quod cum sentire non posset, eodem
jam habitam in examini corde Jesu Ma-
ter perfoderetur. O dolor talis, tantæ-
que Matris! de hac plaga scribens Si-
mcon Metaphrast. apud eundem *ibid.* *Hæc
omnia profundius illam Dei Matrem trans-
verberabant, quam ulli clavi, pro unâ filii
plaga innumeris sauciabatur plagis. His ac-
cedebat dignitas, & Majestas tanti filii,
quæ dolores Matris piissimæ incompa-
rabiliter exaugebat; quo enim nobi-
lior, quo major, quoque dignior Per-
sona est, cujus jacturam, damnumque
patimur, tanto majore dolore obrui-
mur: quanto vulnus est majus, quod
universitas accipit, tanto plures exigit
lacrymas; tantoque gravior calamitas.**

Erat

Erat autem Persona hujus filii, qui patiebatur infinitis modis nobilior, dignior, ac præstantior omnibus Angelis, & creaturis possibilibus; Erat vita Dei filii innumeris thesauris preciosior, infinitis mundis præstantior, unde & in corde afflictissimæ Matris, quæ rem secundum se æstimabat, major dolor exoriebatur, quam qui ex amissione omnium reliquorum bonorum enasci potuisset. Refert Dubravius *lib. 32. historie Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ regem*, posteaquam uxor ipsius Anna puerperio extincta fuisset, tantum animo dolorem concepisse, ut adversus omne solatium aures occluderet, nullius voces pro remedio aliquid afferentes admitteret, nec unquam vestem lugubrem deponere statuisse, adeo intima cordis dolor invaserat, pectusque & viscera diviserat. Sed quid Anna Vladislao? tanto scilicet charior erat Mariæ Jesus, quo Deus altior hominibus, mensuramque doloris statuebat mensura & magnitudo patientis, ac morientis Dei. Urgebat insuper piissimæ Virginis pectus,

Eius, Judæorum iugens noxa, horrendum peccatum, & ab orbe condito inauditum tacinus & deicidium, constat autem homines quosdam eo amoris, & observantiæ erga Deum optimum maximum processisse, ut si peccatum aliquod contra Numinis honorem commissum inaudirent, tam vehementi mœrore corripenterent, quò vix sese quieti reddere valerent; scindebant ob eandem causam sanctioris vitæ viri in veteri lege sua vestimenta, cum Dei honorem læsum adverterent. Heu, heu, Parthenophile, quam non vestes, sed pectus amantissimæ Matris tuæ, & intimas medullas, ipsumque cor disscissum fuerit? posteaquam non Numinis tantum honorem, sed ipsum Numen læsum gravissimè, & tam immani carnificina interceptum conspexit. Augebatur tantus dolor Virginis amplius, quod clarissime conspiceret, ex eo Judæorum scelere dilectam sibi gentem, urbemque Hierosolymam funditus eversum iri, prout dein contigit, quando Judæi triginta, uno argento divenditi fuerunt, quod ab ipsis
Chri-

Christus argenteis triginta venisset; neque mirum, si tanta Judæorum calamitas gravissime Dei Matrem læsit, & afflixit, cum ipse Christus illius excidii aliquando mentionem faciens, fleverit, dicendo: *Jerusalem, Jerusalem si cognovisses & tu &c.* Erat tunc scilicet hora tenebrarum, nec conspiciebant quidquam rabiosi canes, quam sanguinem filii, & sanguineas Matris lacrymas, quibus tamen non modo ad commiserationem non movebantur, sed ad crudelitatem fortius, & fortius exardescabant.

Est & alia causa dolores Virgini non mediocriter aggravans; scilicet quod proverbio dicitur: solatium est miseris socios habere pœnarum, locum non reperit in mœstissima Domina, nec enim erat, qui vel simile quid pateretur ut Jesus & Maria, vel eosdem consolaretur. Unde & Hieremias cum dixisset: *cui comparabo te?* subjunxit, *& consolabor;* quasi diceret: si quem similes dolores sustinentem reperire possem, illū solatiū loco tibi adducerem. Sed cheu Parthenophile percurrere profanas historias, re-

lege sacras, & ecclesiasticas, similem doloribus animam non reperiens; hinc recte Lyranus *in comment. hujus* ait: *non invenio aliquam ita afflictam, quam tibi possum in exemplum proponere, pro aliqua tua consolatione* O Virgo Mater. Et *Gloss. ord.* *Non invenitur tibi digna comparatio, tota es informis, tota horribilis, totam te possidet contritio; ad non esse tendis.* Refert Herodotus *lib. 3.* Sanitidem Ægyptiorum regem à Cambyse Rege Persarum bello victum, ac captum fuisse, una cum charissimis liberis filia, & filio. Cambyse ergo cum esset vindictæ cupidissimus, ut miserum parentem amplius affligeret, præcepit, ut filia capti regis vilissimis ancillæ vestibus induta, coram Sanitide parente cum reliquis famulabus urnas portantibus ad hauriendam aquam properaret; quo spectaculo Ægyptii quidem copiosas lacrymas effundebant; Pater vero illius, nullum doloris indicium prodebat. Admirans Cambyse, immaniore spectaculo statuit animum captivi regis excruciare; jussit ergo, ut Princeps filius sordidissima, & squallenti veste ami-

amicus, scurris ac mancipiis admixus, ferreum anulum in collo gestans, & ore, como ac fræno compresso, coram Patre suo per viam publicam transfret: quo viso Ægyptii quidem ejulatibus & singultibus auras implebant; Parens vero illum intuens, nullum mæroris argumentum edidit. Accidit nihilominus paulo post, ut transeunte illuc quodam sibi valde charo amico, qui & ipse eo bello captus fuerat, & ex summa divitiarum copia ad extremam paupertatem reductus fuerat, lacrymas Rex miser continere non posset. Quod advertens Cambyses ex eodem seiscitatus fuit: quid demum causæ subesset, quod filiorum miseriis non commotus fuisset, amici autem infortunium tam amaro planctu prosequeretur? cui alter respondens, dolorem, inquit, internum profusione lacrymarum non mediocriter minui, esseque quoddam levaminis, & solatii genus: internum autem dolorem quo in tanta miseria filios constitutos conspexisset, adeo acerbum extitisse, ut lacrymarum effusio nulla

ratione illum temperare, aut levaminis, solatiive quidpiam ei afferre posset, sicut in miseris amici. Ingentem dolorem Regis hujus fuisse oportet Parthenophile, cœterum si cum Virginis nostræ cruciatibus comparetur, nullius momenti fuisse facile intelliges; erant enim tot, ac tanti, ut nec sanguineis lacrymis temperari possent. Vidit Rex Ægypti filios vilibus indutos vestibus, mancipiorum more; Vidit cœlorum ac terrarum Regina unicum filium, & delicias suas instar propudiosi fatui alba veste, ac velut ridiculum regem lacera purpura indutum. Vidit ille filiam inter ancillas, & mancipia; Vidit Maria Jesum suum inter sceleratos latrones deputari. Vidit ille filios captivos, non morientes, aut excruciatos; Vidit Domina nostra charissimum natum & à perfidis captum, & in turpissimum tum crucem levatum, & morte atrocissima peremptum. O quam vere, inquebas tum temporis mœstissima Mater mea: *Attendite & videte si est dolor similis, sicut dolor meus. Thren. I. Solabatur se*

se David de obitu amici sui Abner. 2. Reg. 3. his verbis : *Nequaquam ut mori solent ignavi mortuus est Abner. Manus ejus ligatae non sunt, nec pedes ejus compedibus aggravati.* Sed nec hoc de suavissimo suo filio dicere poterat dolorosissima Mater; videbat enim Christi manus ac pedes funibus, ac demum clavis ligatos, ac transfixos, totum corpus flagellis, virgisque cruentatum & exulceratum, adeo ut nec species amplius, nec decor ullus in eo cerneretur. Dolebat aliquando Jacob Patriarcha Gen. 37. cum diceret : *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph! scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Sed nec hic luctus cum mœstitia Mariae pectoris conferri ullo modo potest; videbat siquidem Jacob filii sui duntaxat vestem sanguine conspersam alieno; hæc propriis oculis tenerrimum filii sui corpus vulneribus undique hians, & stillans proprium sanguinem intuita est. Supererant Jacobo filii alii undecim, ex quorum consortio solatium caperet; tristissimæ Virgini alius filius

non erat. Agnovit tandem figmentum Jacob, & tale subesse, poterat suspicari; verum Maria filium suum à feris pessimis dilacerari non sciebat modo, sed etiam oculis hauriebat. *Vere Domina non est dolor sicut dolor tuus! & magna velut mare contritio tua!* Audiebat aliquando nominari arcam Dei, eamque à Philistæis interceptam sacerdos Heli, & cecidit è sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. *1. Reg. 4.* Umbra erat Arca illa humanitatis Christi, erga quam tantopere afficiebatur mystes senex; Ast ipsam hanc sacratissimam Dei humanitatem piissima Mater in manus pessimorum hominum incidisse, conspexit; nec solum captam, sed spineis ac ferreis cupidibus multipliciter perforatam, fœtis sputis deformatam, pedibus impiorum subjectam, contusam, profanatam, & sanctum sanctorum proculatum, non tam oculis, quam sanguineis lacrymis profecuta fuit. O horror ô dolor, ô Mater Maria! contremuerunt aliquando viscera materna sceminæ illius *3. Regum 3.* quæ audiebat:

bat: *dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri. Ideoque clamabat: date illi infantem vivum, & nolite interficere eum. Verum divisio ea executioni data non est, recepit infantem integrum Mater; Tu vero ô afflictissima Mater nec charissimam tuam prolem vivam recepisti, nec totum, sed posteaquam in castissimo gremio tuo reposita de cruce fuit, anima & sanguine & spiritu carebat, & intercipiebatur præ angustia cordis tui spiritus tuus. Recordare Domina omnium dolorum tuorum, dumque anima mea à corpore dividenda erit, eam gremio tuæ clementiæ excipe! flebat & illa Mater Parthenophile irremediabilibus lacrymis, atque dicebat. Heu, heu fili mi, ut quid te misimus peregrinari? lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ: spem posteritatis nostræ, omnia simul in te uno habentes; te non debuimus dimittere à nobis. Tob. 10. Sed plorabat Anna Tobiam filium absentem, & vivum; Maria autem filium suum infami peremptum patibulo, deplorat. Dicebat*

itaque, vel gemitabat rectius castissima simul, & mœstissima columba Marianum pectus: Consolantem me quæsi-
vi, & non inveni; posuit me desolatam,
tota die mœrore confectam. Ut autem
ad compatiendum Virgini Matri tuæ,
fortius commovearis Parthenophile,
coronidis loco proponam tibi ingenio-
sam devotissimi Patris Carthagenæ
speculationem in ea verba *Thren. 3. Ma-
gna est velut mare contritio tua.* Thargum
Chaldæum, inquit, *lib. 22. hom. 4. verti:
Magna est velut gigas contritio tua.* Ac si
diceret: Tantum excedit dolor tuus
O Virgo, aliorum dolores, quantum gi-
gas excedit pigmeos, dolor tuus gigas
est, reliqui pigmei. D. Hierony. de quæ-
stionibus hebraicis transfert: *Magna
velut aqua calida contritio tua.* Ac si dicat:
reliqui aliorum dolores sunt aqua te-
pida, dolor tuus est instar aquæ ferven-
tis, & bullientis, quæ ubicunque car-
nem contingit, ampullas educit, & ul-
cera facit, & gravius quam prunæ ipsæ
urit, ob subtilitatem materiæ, quæ fa-
cilis poro penetrat. Sed, pergite au-
thor,

thor, vim faciens in translatione nostra latina & vulgata, quæ valde conformis est hebraicæ lectioni, ubi *Jamin* proprie significat mare; expendamus, si placeat, proposita verba: *Magna est velut mare contritio tua.* Perinde fuit ac si diceret: aliorum dolores fluvii sunt, & fontes; dolor autem tuus magnus est velut mare, excedens non solum quantitate, sed & qualitate reliquos omnes. Nam sicut aquæ fontium, & fluviorum dulces sunt, maris vero amaræ; ita aliorum dolores in comparatione acerbittatis, & amaritudinis Mariani doloris, dulces sunt judicandi. Vel aliter. *Magna est velut mare contritio tua:* sicut omnes guttæ maris sunt amaræ, nihilque aquæ reperitur in eo, quod salsum & amarum non sit; sic dolor tuus. *O Virgo* præ magnitudine acerbittatis nulla dulcedinis consolatione mixtus est. Ita enim B. Virgo dolore immerfa erat, ut ab omni læta cogitatione se prorsus abstineret, unde sicut in maris tempestate fluctuum vicissitudo non cessat magno impetu concutere littus, & evanescentibus his,

alii magis tumescentes succedunt, quibus magis & magis augetur tempestas; non dissimiliter lugubris, ac mœstissimæ Virginis cogitationes, quibuscum animoolvebat cruentum ejus sudorem in horto; terribilem illam agoniam, cum diceret: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; comprehensionem illius cum fustibus, & armis; irrisiones & opprobria, per judicium tribunalia, gravissimam flagellationem, & immanem spinarum coronationem, crucis bajulationem, diram clavorum transfixionem, inter latrones turpissimam mortem. Istæ, inquam, cogitationes velut tumescentes fluctus Mariani pectoris littus mirabili quadam vicissitudine, quasi certatim acriter concutiebant, & quibusdam earum evanescentibus, aliæ graviores & mœstiores succedebant, adeo? ut jam Maria non mare serenum, quæ regina serenissima dici solebat, sed mare turbulentum merito nuncupari posset. Hæc author de Virginis honore optime meritis, quæ gembundo tuo
ani-

animo Parthenophile accuratius perpendenda relinquo.

CAPUT II.

Ex amore & imitatione dolorosæ Virginis patientiam exercere in morbis, & aduersa valetudine.

Vix equidem credo te omnino nullo morbo, ægritudineve teneri Parthenophile; Ex quo enim in hoc miseriarum barathrum coniectum est genus humanum per peccatum, innumerabiles morbi, corporumque sinistrae affectiones prodierunt. Deficit prope, quantumvis studiosissimus rerum indagator Ravisius, cum morborum species investigat; nam posteaquam alphabeto bene longo *cap. 51.* morbos ultra centum quinquaginta recensuisset; vix tamen mediam eorum partem in medium attulisse censendus est. Unde non statui te excitare, ut ipse tibi dolores, cruciatusque corporis procures, quibus piis afflictationibus aliquam dolorum

rum